

DE
SACERDOTIBUS
CURIALIBUS.

DISSERTATIO

QUAM

PROFESSORIS ORDINARIII

MUNUS

IN ACADEMIA VRATISLAVIENSI

RITE AUSPICATURUS

IN AULA LEOPOLDINA

^{VII}
D. XIV. M. MAII A. MDCCCXL. H. X.

PUBLICICE DEFENDET

IUL. ATHAN. AMBROSCH

PHIL. DR. ET ANTIQ. LITT. PROF. P. O. DES.

SOCIO AD RESPONDENDUM ASSUMPTO

LAURENTIO MEINOLPHO MUELLER

SEMINAR. PHILOL. SODAL.

ADVERSARIORUM PARTES SUSTINEBUNT

FRIDER. GUILIEMUS BEISERT

SEMINAR. PHILOL. NUPER SODAL.

C. IOS. ROBERTUS HAEGELE

SEMINAR. PHILOL. NUPER SODAL.

EXPEDITUS BAUMGART

SEMINAR. PHILOL. SODAL.



152689

VRATISLAVIAE
TYPIS HENRICI RICHTER.

AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM ORDINI
VRATISLAVIENSI
DISSERTATIONEM DE SACERDOTIBUS
CURIALIBUS

AUCTOR

D. D.

D e

sacerdotibus curialibus.

Dionysii Halicarnassensis antiquitatum libri, ut in universum pleniorē quandam imaginem Romanae antiquitatis praebere videntur, ita sunt iis adnumerandi monumentis, in quibus rerum, quae ad primordia religionum Romanarum pertinent, non solum notitia, verum etiam continuatio quaedam atque series appareat. Quod quanti faciendum sit, neminem fugit, qui secum reputat, ea, quae apud Dionysium de prisco deorum cultu legantur, ex parte emanasse ex eo opere, quod eruditissimus Romanorum vir de populi sui antiquitatibus humanis et divinis multo cum studio multaque cum cognitione monumentorum conscripserat. Sed quamquam Dionysius et auctorem sane gravissimum sequutus est, et cum operibus eiusdem commode conferre potuit, quae scriptores Varrone antiquiores de forma et conditione urbis aeternae antiquissima tradiderant, tamen accuratius in sententias Dionysianas inquirenti brevi apparet, imaginem illam priscarum aetatum a scriptore, dum aut discrepantes auctorum suorum sententias male sagax conglutinat aut res longa vetustate obrutas ex consuetudine suae sive aetatis sive gentis diiudicat, haud raro fucata esse atque obliteratam. Quod iudicium iam ante nos consensu quodam virorum doctorum stabilitum quatenus etiam ad ea pertineat, quae in libro antiquitatum altero de sacerdotibus curiarum narrantur, hac dissertatiuncula sic docere decrevimus, ut, errore scriptoris patefacto, veram conditionem illorum sacerdotum paulo accuratius exponeremus.

Curionia sacra quum inde a primordiis Urbis instituta esse satis constet, non temere videtur fecisse Dionysius, qui inter sacerdotia a Numa partim retenta partim addita Curionatum in primo poneret loco cumque omnium sacerdotiorum antiquissimum fuisse disertis

verbis traderet. Nihil tamen minus fatendum est, scriptorem de re subobscura non modo negligentius sed etiam alibi aliter disserentem animis legentium scrupulos quosdam iniicere. Sic enim lib. II. cap. LXIV. de Numa loquitur:

ἀπέδωκε δὲ μίαν ἱερουργιῶν διάταξιν τοῖς τριάκοντα Κουρίωσιν¹⁾, οὓς ἔφην τὰ κοινὰ θύειν ὑπὲρ τῶν φρατριέων ἱερά.

Unde videtur colligendum esse, scriptorem de ea re satis superque in antecedentibus disputasse. At vero neque triginta Curionum antea mentionem fecit, nec omnino tradidit, Curiones fuisse sacerdotes curiarum; neque locis, ad quos illa verba necessario sunt referenda, diligenter examinatis non elucet, ea, quae Dionysius passim de sacerdotibus curialibus proferat, adversis frontibus inter se concurrere.

Primo enim scriptor Curiones attingit, ubi de Romuli institutis disserens cap. VII. sic dicit:

οἱ δὲ ταῖς κουρίαις ἐφρονηκότες φρατρίαρχοι καὶ λοχαγοὶ, οὓς ἐκεῖνοι Κουρίωνας ὀνομάζουσιν.

Hoc igitur loco Curiones nostro sunt φρατρίαρχοι et λοχαγοὶ, quemadmodum etiam vocem latinam curia graecis φράτρα et λόχος interpretatur. Unde iam subluceat, Dionysio, cui vocabula latina centuria et centurio graecis λόχος et λοχαγός respondent, Curiones non modo magistratus urbanos, verum etiam bellicos quosdam fuisse duces videri. Quam sententiam in capite decimo quarto eiusdem libri etiam clarius et uberius exponit. Ibi enim multis verbis depingens, quam apta fuerit distributio populi a Romulo instituta tum ad res civiles ordine administrandas, tum ad res belli celeriter agendas, haec subiungit:

ὅπότε γὰρ αὐτῶ (βασιλεῦ) φανεῖν στρατιᾶν ἐξάγειν, οὔτε χιλιάρχους τότε εἶδει ἀποδείκνυσθαι κατὰ φυλάς, οὔτε ἑκατοντάρχους κατὰ λόχους, οὔτε ἰππέων ἡγεμόνας, οὔτε ἐξαριθμεῖσθαι τε καὶ λοχίεσθαι καὶ τάξιν ἕκαστον τὴν προσήκουσαν ἀναλαμβάνειν ἀλλὰ βασιλεὺς μὲν τοῖς χιλιάρχοις παρήγγελλεν, ἐκεῖνοι δὲ τοῖς λοχαγοῖς παρὰ δὲ τούτων οἱ δεκαδάραυ μαθόντες, ἐξῆγον τοὺς ὑποτεταγμένους ἑαυτοῖς ἕκαστοι.

Hunc locum si contuleris cum capite septimo, non te fugiet, Dionysio centuriones legionis Romuleae re vera eosdem esse atque Curiones; et apparet, scriptorem nostrum prorsus conspirare cum Paterno et Ioanne Lydo, quippe qui et ipsi Curionibus, sacerdotibus pri-

¹⁾ Κουρίωσιν pro vulgato Κουρίοσιν reposui ex cod. Chisiano.

scis, munera centurionum attribuant²⁾. Nam etiam apud Dionysium iidem, qui tum magistratus urbani tum praefecti militum vocantur, statim ab urbe condita sacerdotilibus funguntur muneribus; certe legimus in eodem libro cap. LXIV.:

ἐν ἐκάστη δὲ τῶν τριάκοντα φρατριῶν (Ρώμυλος) ἰδρυσάμενος ἑστίαν, ἐφ' ἧς ἔθνον οἱ φρατριεῖς, Φυηπόλους αὐτῶν ἐποίησε τοὺς τῶν Κουριῶν ἡγεμόνας.

Unde apparet, Curiones iam Romulo regnante sacra curionia in singulis quemque curiis fecisse; cuiusmodi sacrorum curationem iisdem et sub Numa et actatibus subsequentibus mansisse, locus, unde nostra est profecta disputatio, satis superque declarat. Collatis igitur sententiis, quas in locis memoratis scriptor de curionibus attulit, videtur iudicandum esse, eos fuisse sacerdotes, qui pacis tempore munera magistratuum urbanorum obirent et, quoties usus belli ferret, centurionum vicibus fungerentur. Nec esset fortasse, quem mira ista consortio munerum diversissimorum in populo nascente et bellicoso magnopere offenderet, nisi ipse Dionysius in loco admodum memorabili³⁾, ubi de sacris curioniis data opera et copiose disputat, ma-

²⁾ Paternus apud Laur. Lyd. de magistratt. I. 9.: ὁ Ρώμυλος δὲ κουριῶνας τῶν ἱερῶν φροντιστὰς προεστήσατο, τοὺς αὐτοὺς καὶ κεντουριῶνας τῶν περικῶν ταγματῶν ὀνομάσας. Quem sequutus Lydus ipse ibid. c. 39. haec habet: ὁ δῆμος ἀνάκαθεν καὶ σύμπαν ἀπλῶς τὸ πολίτευμα ἰστρατεύετο, καὶ αὐτῶν τῶν ἱερέων τοῖς πολεμίοις ἐπεξόντων, quibus finitimum est prooemii principium: ἱερείας γενέσθαι τὸ πρὶν τοὺς ὕστερον ἄρχοντας τοῦ Ρωμαίων πολιτεύματος, οὐδενὶ τῶν πάντων ἡγγόηται. Paterni sententiam amplexi sunt Niebuhr. Hist. Rom. I. p. 344, ed. sec. Walter. Hist. Jur. Rom. lib. I. cap. 3. p. 23; conf. tamen infra annot. 6. Huschke in libro *Die Verfassung des Königs Servius Tullius*, p. 27 et 467. Contra prorsus immunes fuisse priscos Romanorum sacerdotes contendimus in libro *Studien und Andeutungen im Gebiete des altrömischen Bodens und Cultus*, p. 55. et Rubino in libro *Untersuchungen über römische Verfassung und Geschichte*, I. p. 340, in annot. haec dicit: von der angeblichen ursprünglichen Identität dieser Curionen mit den Centurionen wird sich übrigens später zeigen, dass sie nur auf sehr schwachen Stützen beruhe.

³⁾ Dionys. II. 21: χωρὶς γὰρ τῶν ἐχόντων τὰς συγγενικὰς ἱερωσύνας, οἱ τὰ κοινὰ περὶ τῆς πόλεως ἱερὰ συντελοῦντες κατὰ φυλάς τε καὶ φράτρας, ἐξήκοντα κατεστήθησαν ἐπὶ τῆς ἐκείνου ἀρχῆς· λέγω δὲ ἃ Τερεντίος Οὐάδῳ ἐν ἀρχαιολογίαις ἐγραφεῖν, — ἐκεῖνος (Ρώμυλος) οὐτ' ὄνητὰς χρημάτων ἐποίησε τὰς ἱερωσύνας, οὔτε κλήρω μεριστὰς, ἀλλ' ἐξ ἐκάστης φράτρας ἐνομοθέτησεν ἀποδεῖνσθαι δύο τοὺς ὑπὲρ πενήκοντα ἐτη γεγονότας, τοὺς γένει τε προὔχοντας τῶν ἄλλων καὶ ἀρετῇ διαφόρους, καὶ χρημάτων περιουσίαν ἔχοντας ἀρκοῦσαν, καὶ μηδὲν ἠλατιωμένους τῶν περὶ τὸ σῶμα. τούτους δὲ οὐκ εἰς ὀρισμένον τινὰ χρόνον ἔχειν τὰς τιμὰς ἔταξεν, ἀλλὰ διὰ παντὸς τοῦ βίου, στρατειῶν μὲν ἀπολελυμένους διὰ τὴν ἡλικίαν, τῶν δὲ

gnam nobis dubitationem iniiceret. Nimirum ex huius loci sententia, cui praescripta est Varronis auctoritas, aetate Romuli praeter eos, qui sacra gentilicia curarent, non triginta, sed sexaginta sacerdotes Romae operabantur, quorum ex singulis curiis bini, comitiis curiatis creati et deinde inaugurati, sacerdotiis per omnem vitam fungebantur. Nec his quicquam cum rebus profanis esse poterat, quippe qui, quum nisi annis quinquaginta maiores non admitterentur, militiae ob ipsam aetatem immunes essent, urbanis autem negotiis lege vacarent. Eiusmodi igitur sacerdotibus, i. e. senibus nullisque officiis nisi sacris deditis, nemo profecto neque magistratus urbanos neque munera bellica attribuat.

Nihilo tamen minus haudquaquam dubium est, quin Dionysius in numero sacerdotum sexaginta, qui omni negotio profano omnino vacarent, triginta illos ponat Curiones, quos idem et magistratus fuisse et centuriones existimat. Etenim de sacerdotibus sexaginta disserens cap. XXIII. diserte tradit:

συνέθρονόν τε τοῖς ἱερεῦσιν αἱ φράτριαι εἰς τὰς ἀπομερισθείσας αὐτοῖς θυσίας, καὶ συνειστιῶντο κατὰ τὰς ἑορτὰς ἐπὶ τῆς φρατριακῆς ἑστίας.

Unde facile est intellectu, locos in capite LXIV. et LXV., quos supra consideravimus, non posse non ad illa verba pertinere. Respondent ergo et illi *ἡγεμόνες τῶν κουριῶν* in capite LXIV. et *τριακοντα κουριῶνες* in capite LXV. utique sacerdotibus triginta, quos numerus sexaginta in capite XXI. complectitur, quemadmodum etiam in capite XXIII. tum *ἑστία κοινῇ*⁴⁾ tum *κοινὰ ἱερὰ* curiarum singularum cum sacerdotibus sexaginta eodem modo quo in capite LXIV. et LXV. cum ipsis Curionibus coniunguntur. Haud dubie igitur Dionysius triginta Curiones, quorum sacerdotia Numa retinuit, numero sacerdotum sexaginta, quos Romulus instituerat, comprehendit; atque apparet, cum quodammodo suo iure in capite LXIV. scribere: *οὗς ἔφην τὰ*

κατὰ τὴν πόλιν ὀχληρῶν διὰ τὸν νόμον. Scriptura codicis Vaticani *ἐξ ἐκείστης φράτρεως ἀπέδειξε δύο* pro *ἐ. ἔ. φ. ἐνομοθέτησεν ἀποδείκνυσθαι* δ. sane arridet, quia scriptor tum paulo ante tum in multis locis significat, sacerdotes non comitiis populi sed a regibus fuisse creatos. Sed verba *ἐνομοθέτησεν ἀποδείκνυσθαι* quum et hoc loco in ceteris codicibus et in fine capituli XXII. sine ulla scripturae varietate legantur, Dionysio relinquenda esse putamus. Ceterum conf. infra annot. 47—49.

4) Verba *ἑστία κοινῇ* hoc loco non ad aedem Vestae, ut c. 66, sed ad aram sive focum publicum cuiusque curiae pertinent, id quod Grimm. ad locum scite observavit, aliter Wachsmuth. in libro *Die ältere Geschichte des römischen Staates*, p. 217.

κοινὰ θύειν ὑπὲρ τῶν στρατιῶν ἰσθὰ, licet in capite XXI. et XXIII. tam nomen quam numerum Curionum reticuerit.

Iam ista nominis praetermissio ipsa prorsus est insolens atque adeo mira. Nam quis est, qui in eo non offendat, quod scriptor eo potissimum loco, ubi ex industria et copiosissime naturam atque conditionem sacerdotii antiquissimi quum exponit, tum vero ex monumento Romano eoque gravissimo haurire sua videtur, ne Romani quidem nominis sacerdotum meminit, praesertim quum tale quid nec in sacerdotiis a Numa institutis nec omnino facile admittat, quoties instituta Romana Graecis aut incognita aut minus nota attingit. Sed hoc forsitan aliquis negligentiae cuidam condonandum putaverit, cuius in nostro scriptore sane plura inveniuntur exempla⁵⁾. Cui negligentiae etiam id demus licet, quod de triginta Curionibus a Numa retentis disputans lectores in locum remittit, ubi de sacerdotibus sexaginta loquutus est, ne verbo quidem significans, quid factum fuerit alteris triginta. At vero nullo prorsus modo ferri potest, quod sententia, quam in capite VII. et XIV. de Curionibus profert, aperte pugnat cum eorum conditione, quam in capite XXI. et XXIII. multis verbis dilucidat. An vere putemus, qui munera magistratuum et centurionum obirent, eosdem aetate et lege omnium munerum profanorum prorsus immunes nihil curasse nisi sacra curionia? Qui per omnem vitam una cum uxoribus apparent diis, eosdem, quoties usus belli ferret, a sacris avocatos? Qui corpore deberent esse integerrimo, eosdem bellorum vicissitudinibus vulneribusque obiectos? Passus est igitur his locis Dionysius, si uspiam, humani aliquid, neque, quum prorsus sit incredibile, Varronem talia protulisse, non suspicari possumus, scriptorem, variis in locis secundum varios auctores de Curionibus disseverentem res prorsus dispares, i. e. sacerdotes et centuriones Romuleos confudisse. Quod si satis est manifestum, utramque sententiam, quam Dionysius de Curionibus tulit, aequae veram esse non posse, aut eximendi sunt sacerdotes e legione Romulea aut dicendum est, centuriones non pertinere ad sacerdotes urbis priscae, quos Varro sexaginta fuisse in antiquitatibus tradiderat. Nam quod vir doctus nuper voluit⁶⁾, duo exstitisse olim Curionum genera, unum sacerdotale, alterum militare, hoc saltem neque a Dionysio aut a Paterno usquam

⁵⁾ Vide Wachsmuth l. l. p. 48, annot. 60.

⁶⁾ Walter. l. l. p. 24, annot. 16, dicit: *Dionysius nennt in der dritten Stelle dreissig, in der ersten sechzig Curionen. Wahrscheinlich rechnet er aus Missverständniß die dreissig bürgerlichen Vorsteher mit hinzu, weil diese auch bei den Opfern zu thun hatten.* Conf. quae infra disputabimus in annot. 61.

significatur, neque e discordia sententiarum recte videtur colligi, quum admodum sit difficile ad probandum, utramque sententiam, unde et Dionysius et Paternus conflaverint suam, aeque se recte habuisse.

Iam de re sane contorta quid statuendum sit, fortasse aliquanto certius iudicabimus, quum quaesiverimus, num Dionysius in sacris curiarum rebus describendis, i. e. in capite XXI., XXII. et XXIII., sententiam Varronianam usque quaque eadem reddiderit fide, qua in principio capitis vicesimi primi ex eiusdem antiquitatibus numerum sacerdotum retulit. Hoc enim quamquam per se satis est verisimile, quoniam noster opus Varronianum, ut in illo capite, sic passim et memorat et exscribit⁷⁾, tamen hoc loco, ubi non de sententia quadam singularim prolata, sed de narratione per tria prope capita continuata agitur, haud ita confidenter pro concesso mihi sumpserim; imo haud scio an sint futuri, qui Dionysium in ipsis curiarum sacris describendis non magis sibi quam Varroni repugnare censeant. Quid enim? Diserte quum exponat, ex singulis curiis binos sacerdotes creatos fuisse, elucet, numerum illum Varronianum iam ipsis curiarum sacerdotibus expleri. Atqui Dionysius praeter sacerdotes illos sexaginta, qui ex sententia Varronis veterrimis sacris publicis soli praeerant, quum tres Haruspices tum praefectos Celerum producit, quos et ipsos iam Romulo regnante officiis sacerdotalibus esse functos significat⁸⁾. Quae sententia quamvis partim evidenter sit falsa⁹⁾, partim subobscura¹⁰⁾ nitatur auctoritate, tamen hoc saltem videtur probare, Dionysium et tres Haruspices et praefectos Celerum priscis sacerdotibus publicis adnumerasse, unde apparet, ex ipsius sententia Romulo regnante non sexaginta fuisse sacerdotes publicos, id quod Varro tradiderat, sed amplius sexaginta. Pugnare igitur videntur Varro et Dionysius, quod ad numerum sacerdotum publicorum attinet, nec admodum est difficile locos invenire, ubi similis discordia scriptoris Romani et Graeci appareat¹¹⁾. Nihilo tamen minus qui descriptionem sacerdotum curialium in tribus illis capitibus propositam quum ipsam per se, tum vero coniunctam cum aliis Romanorum institutis sacris diligenter consideraverit, is forsitan mecum sibi persuadeat, Diony-

⁷⁾ Conf. I. 14. seq. II. 47; 48. fin. IV. 62.

⁸⁾ Dionys. II. 22. fin. — Ibid. 64; cf. 13.

⁹⁾ Vide infra annot. 13 et 43.

¹⁰⁾ Unus enim Dionysius plures Celerum praefectos commemorat. Conf. Walter, l. l. p. 23. Huschke, l. l. p. 722. Rubino, l. l. p. 303, annot. 3.

¹¹⁾ Conferas v. c., quae Dionysius II. 18 de signis et formis deorum a Romulo institutis exponit, cum sententia Varroniana apud Augustin. de Civ. Dei IV. 31, de qua re disputavimus l. c. cap. II, annot. 17 et 21.

sium hoc saltem loco non modo non repugnare Varroni, verum etiam cum Varrone ad veritatem accedere.

Primum ista scriptoris utriusque repugnantia speciosior est quam verior; imo prorsus evanescit simul ac perpendimus, ubi et quo modo Dionysius tum tribunum et praefectos Celerum tum tres Haruspices commemoraverit. Etenim quod ad duces Celerum attinet, ex alio scriptoris loco¹²⁾ iure quidem videtur colligi posse, qui iam Romulo regnante fuerint, eosdem etiam inde a primordiis Urbis sacerdotiis esse functos, quae non instituerit, sed retinuerit Numa. Sed tamen bene tenendum est animo, aliud esse e rebus a scriptore aliquo narratis concludendo aliquid efficere, aliud ipsius scriptoris explorare sententiam. Quam si nostro spectamus loco, dicendum est, Dionysium inter instituta, quae ipse ad Romulum referat, sacerdotii Celerum ne verbo quidem meminisse. Unde facile apparet, ex ista, quam ex sententia scriptoris institui oporteat, comparatione sacerdotum Romuleorum prorsus eximendos esse praefectos Celerum. Tres autem Haruspices, quorum noster in fine capituli XXIII. mentionem fecit, quid sibi velint, facile ex libris Ciceronianis elucet¹³⁾. Nempe erravit, qui cum Haruspibus Augures Romanos antiquissimos confunderet¹⁴⁾. At eosdem Augures etiam a Varrone sacerdotiis vetustis adnumeratos esse, vix est cur dubitemus, quum satis constet, Ciceronem libros Varronianos lectitasse, perfectos vehementer probasse. Ergone iudicandum, praeter sexaginta curiarum sacerdotes iam Romulo regnante exstitisse tres Augures? Nil certius quatenus ad sententiam Varronianam et Ciceronianam¹⁵⁾. Tamen verbis

¹²⁾ Dionys. II. 64: τὴν δὲ τρίτην τοῖς ἡγεμόσι τῶν κελερῶν, οὓς ἔφη ἰπιπεῖς τε καὶ πεζοὺς στρατειομένους φύλακας ἀποδείκνυσθαι τῶν βασιλείων καὶ γὰρ οὗτοι τεταγμένως τιὰς ἱεροουργίας ἐπετέλουν. Quo possunt sane referri verba in capite praecedente: ὅσα μὲν οὖν ὑπὸ Ῥωμύλλου ταχθέντα ἐν ἐθισμοῖς τε καὶ νόμοις παρέλαβεν — εἶα κατὰ χώραν μένειν. Ceterum prorsus aliter Plut. Num. 7. et Zonar. Annal. VII. 5. p. 322; sed tuetur sententiam Dionysii Kal. Praenest., m. Mart. XIV. Kal. April., quem locum Huschke l. l. merito respexit.

¹³⁾ Cic. de Rep. II. 9.: *Nam et ipse quod principium rei publicae fuit urbem condidit auspicato, et omnibus publicis rebus instituendis qui sibi essent in auspiciis ex singulis tribubus singulos cooptavit augures.* Ceterum conf. infra annot. 43.

¹⁴⁾ Conf. infra annot. 44.

¹⁵⁾ Accedit Liv. X. 6: *quum inter augures constet, imparem numerum debere esse, ut tres antiquae tribus, Ramnes, Titienses, Luceres, suum quaeque augurem habeant.* Quae quum haud dubie ex augurali sint disciplina petita, apparet, sententiam in lib. IV. cap. 4. prolatam oratori esse relinquendam.

tam Varronis quam Dionysii inferret vim, qui ex iis colligeret, scriptores oscitanter fecisse, qui simul inde a primordiis Urbis sexaginta tantum publicos fuisse sacerdotes traderent, simul ipsi amplius sexaginta enumerarent. Qui enim ad accuratorem loquendi usum attenderit, qualem in Varrone et Cicrone certe spectare debemus, is animadvertit, Auguribus vocabulum sacerdos nisi sensu latiori non convenire, quandoquidem sic potissimum ii appellabantur, quorum proprium esset sacra facere. Itaque Varro, quemadmodum in libris de lingua Latina omissis Auguribus in numero sacerdotum publicorum ponit Pontifices, Curiones, Flamines, Salios, Lupercos, Fratres Arvales, Sodales Titienses¹⁶⁾, sic etiam in antiquitatum libris ubi computavit, quot sacerdotes Romulo regnante ceremoniis et sacris publicis praefuissent, certe horum numero non immiscuit Augures publicos, quippe quorum potissimum esset proprium disciplinam tenere¹⁷⁾. Quod quum ita sit, apparet, Dionysium, neque sibi neque Varroni repugnantem, tres illos Augures suo iure a sacerdotibus curiarum separasse.

Porro, sublata iam scriptoris utriusque discrepantia, evinci potest, prope omnia, quae Dionysius in tribus illis capitibus de sacris curionis proferat, adeo conspirare cum iis, quae aut Varro ipse aut similes eius auctores de sacris vetustis senserint, ut necesse sit fateamur, sumpsisse nostrum sua ex monumentis Romanorum probatissimis. Primum enim non dubium est, quin Varro et ipse, quoniam in eo, quem respicit noster, antiquitatum loco de sacris a Romulo institutis egerat, numero sexaginta sacerdotum certe triginta Curiones comprehenderit. Neque tamen ibi vocabulo Curiones usus esse potest, ubi, qui sub Romulo sacris publicis praefuerant, ad unum omnes uno et numero et vocabulo essent comprehendendi, sed opus erat verbo quodam universo, quod ad omnes, qui tunc sacra fecissent, aequae pertineret. Certe igitur neque Curiones neque Flamines, sed sacerdotes scripsit, unde apparet, quare ne Dionysius quidem in loco illo primario nomina sacerdotum propria reddiderit, sed aequae atque Varro vocabulo *ἱερεῖς* cunctos sacerdotes Romuleos complexus sit. Deinde apparet ex libris de lingua Latina, Varronem etiam de immunitate horum sacerdotum plane consentire cum ea Dionysii sententia, quam in capite XXI., hoc est, in eo loco, cui ipsius Varronis praefixa est auctoritas, expressam legimus. Enimvero Curiones non modo in numero eorum ponit, qui pro-

¹⁶⁾ Varro de L. L. V. § 83. sq.

¹⁷⁾ Huschke ad Incerti auctoris magistratuum et sacerdotiorum P. R. expositiones, p. 137. Rubino, l. l. I. p. 50, annot. 2.

prie sacerdotes vocarentur, verum etiam aperte declarat, eos nihil aliud nisi sacra in curiis fecisse¹⁸⁾. Quod iudicium quanti sit faciendum, neminem fugit, qui secum reputat, Varronem et in antiquitatibus haud dubie satis copiose de curiis egisse, et in libris de lingua Latina opus illud sic respexisse, ut plus semel in verbis praeis explicandis ea, quae sua aetate iam obsoleta essent, ex illo breviter repetita adumbraret¹⁹⁾. Quod quum ita sit, haud facile quisquam probaverit, Varronem de Curionibus loquentem nisi de sua aetate non cogitare. Nam origo vocabuli Curio quum explicanda esset scriptori, profecto nihil intererat proferre, quid Curio sua ipsius aetate significaret, siquidem antiquioribus temporibus aliquid aliud significasset; sed, ut in vocabulis Quaeitores, Tribuni militum, Milites²⁰⁾, aliis explicandis usque ad primordia rei Romanae adscendit, ita etiam afferre debebat, quae vocabulo Curio tunc fuisset significatio, quum primo esset natum atque usurpatum. Atqui ne verbum quidem dicit de muneribus sive urbanis sive militariibus, quibus praei illi Curiones functi esse dicuntur; imo ne hoc quidem dicit, vocabulum Curio originem a parte tricesima populi traxisse, sed, quemadmodum sacerdotalia Curionum officia agnoscit sola, sic nomen sacerdotum non a parte quadam populi, sed a locis sacris deducit, ubi cum curialibus sacra publica faciebant feriasque observabant. Ecce Varronis de Curionibus sententia, quam, licet minime simus propensi in argumenta petita de taciturnitate, tamen tanto pluris faciendam esse existimo, quanto minus dubitari potest, quin Varro de curiis atque Curionibus sacrisque curioniis et crebro et sedulo quaesiverit. Cuius sententia quum proxime accedat ad narrationem, quam Dionysius, praemissa ipsius Varronis auctoritate, loco nostro profert, sane iudicandum est, utrumque scriptorem in immunitate Curionum omnino consentire²¹⁾.

Practerea manifestum est, etiam ea, quae Dionysius de communibus curialium sacris epulisque; de pecunia ad eiusmodi sumtus cro-

¹⁸⁾ Varro de L. L. V, § 83: *Curiones dicti a curiis, qui fiunt, ut in his sacra faciant*. Ibid. VI, § 46: *Curiae, — ubi cura sacrorum publica: ab his Curiones*. Adde ibid. V, § 155: *Curiae — ubi curarent sacerdotes res divinas, ut curiae veteres*. VI, § 15: *Fordicidia — — quod eo die publice immolantur boves praegnantes in curiis comphres*.

¹⁹⁾ Vide quae attulimus l. m. p. 118, annot. 56.

²⁰⁾ Varro l. l. V. § 81; 89; 91.

²¹⁾ Haud dubie immunitas sacerdotum publicorum temporibus praeis late patebat. Primum enim militiae omnino omnes sacerdotes immunes

gata, de conditione et statu sacerdotum curialium tradit, mirifice probari partim testimoniis scriptorum Romanorum, partim similitudine aliorum institutorum priscorum. Etenim, ut Curiones secundum Varonem ob hanc solam causam fiebant, ut in suis quisque curiis rebus divinis operam darent, ita curiae ipsae nisi ad usus sacros nunquam videntur conditae fuisse et usurpatae. Certes scriptores Romani, qui curiarum meminerunt, ad unum omnes aequae ac Dionysius confirmant, eas fuisse aedificia, in quibus publica fierent sacra²²). Item constat, easdem eodem ritu quo templa constitutas fuisse et inauguratas²³). Nec qui utensilia infra memoranda eorumque finem consideraverit²⁴), quae in curiis fuisse scimus, ullo modo dubitare poterit, quin aedificia ad usus curialium destinata re vera sint in numero sacrarum aedium ponenda. In quibus quum sacra publica a sacerdotibus facienda essent et curiales una cum illis epularentur, sane opus erat redivis

erant, excepto tumultu Gallico. Plut. Camill. 41: οὕτω δ' οὖν ὁ φόβος ἦν ἰσχυρὸς, ὥστε θέσθαι νόμον, ἀγεῖσθαι τοὺς ἱερεῖς στρατείας, χωρὶς εἶν μὴ Γαλατικὸς ἢ πόλεμος. Eadem habes in vita Marcelli, c. 3. Deinde et militia et magistratibus urbanis vacabant Rex sacrorum (vide quae disputavimus l. c. p. 68), Flamines maiores, Salii (ibid. p. 56, annot. 77), Duumviri sacrorum (Dionys. IV, 62). Accedit quod etiam sacerdotes Caeninenses et Lanuvinorum vacationem honorum et munerum habebant. Vide Orell. coll. inscriptt. ad n. 2181. Ceterum sacerdotes vel omnes vel semper stipendia contulisse, e noto loco Liviano XXXIII. 42. (cf. Appian. bell. civ. IV, 34.) vix et ne vix quidem collegerim. Aliter Walter. l. I, 19, p. 188.

²²) Locis Varronianis in annot. 18 allatis adde Fest. v. Curia. Curionia. Curiales mensae. Novae curiae. Serv. in Virg. Aen. XII, 836.

²³) Itaque quae curiae in alium locum transferendae essent, exaugurari debebant. Fest. v. Novae curiae. Hinc elucet, quid sibi velint Dionysiana, II, 23: ἐσπιτόριον γὰρ ἦν κατεσκευασμένον ἐκάστη φράτρη καὶ σὺν αὐτῷ καθωσίωτό τις — ἐστία κοινὴ τῶν φρατριῶν. Ὄνομα δὲ τοῖς ἐσπιτορίου ἦν, ὅπερ καὶ φράτρες, κοῦρία, καὶ μεχρὶς ἡμῶν οὕτω καλοῦνται. Verba σὺν αὐτῷ καθωσίωτο a Grimmio scite defensa tuetur cod. Chisianus. Ceterum vix dubitaverim, quin scribendum sit, ἐστία τῶν φρατριῶν, id quod iam Grimmus maluit; nam manifestum est, hoc loco de foco communi curialium, hoc est, eorum, qui unius sint curiae, agi. Pro curiis singulis singula coenacula erant exstructa et in his erant arae sive foci, simul cum coenaculis inaugurati, ad quos curiales una cum sacerdotibus epulabantur. Locus egregie illustratur iure Papiriano apud Macrobi. Sat. III, 11, p. 31, in quo sic erat scriptum: neque enim donaria dedicantur eo tempore, quo delubra sacrantur; at vero mensa arulaeque eodem die, quo aedes ipsae, dedicari solent. Hinc sua sumpsit Serv. in Aen. VIII, 279. Praeterea hi foci sunt distinguendi a mensis curialibus, de quibus vide infra annot. 75 sq.

²⁴) Vide infra annot. 78.

publicis, unde, ut omnino in religiones publice receptas²⁵⁾, sic in sacra curionia Curionumque stipendia pecunia erogaretur²⁶⁾. Nec unquam res divinae et epulae curialium florente re publica diu videntur intermissae esse; nam ex ultima Italorum antiquitate exortae²⁷⁾ durabant usque ad Tarquinium superbum; sublatae ab hoc²⁸⁾ sub primis consulibus restitutae sunt²⁹⁾; postea, quum curiae veteres a Romulo factae parum amplae esse viderentur, novae sunt aedificatae³⁰⁾, unde sane colligi potest, et numerum curialium crevisse neque sacra epulasque eorum cessasse. Et ita res se habebat; nam aetatibus Varronis et Dionysii, non solum curiae et Curiones et sacra curionia supererant³¹⁾, verum congregabantur etiam curiales in curiis³²⁾.

At enim solus Dionysius ea tradit, quae ad statum et personas Curionum eorumque familiarum pertinent. Est sane ita. Nihil ta-

²⁵⁾ Conf. Walter. l. l. et quae nos disputavimus. l. m. p. 199, sq.

²⁶⁾ Fest. v. Publica sacra. Curionium aes. Conf. quae observavimus l. c. p. 202.

²⁷⁾ Arist. Polit. VII, 9. Conf. Wachsmuth. *Hellenische Alterthumskunde*, II, 2, p. 22, sq.

²⁸⁾ Dionys. IV, 43: *συνόδους τε συμπάσας, ὅσαι πρότερον ἐγένοντο κωμητῶν ἢ φρατριαστικῶν ἢ γειτόνων ἐν τε τῇ πόλει καὶ ἐπὶ τῶν ἀγρῶν ἐφ' ἱερὰ καὶ θυσίας πάσας κοινὰς, προεῖπε μηκέτι συντελεῖν*. — . Scriptura *πάσας κοινὰς*, quam agnoscit etiam cod. Chisianus, bene se habet: dicit enim scriptor, Tarquinium omnino omnes sustulisse civium coetus, qui antea omnium sacrorum publicorum causa fieri solerent. Non repetitur igitur adiectivum *πάσας*, sed ad *ἱερὰ καὶ θυσίας* est referendum. Alter locus est ibid. 81: *(οὐκ) ἀφῆρηται δὲ τὰς ἐφ' ἱερὰ καὶ θυσίας συνόδους*; Unde sane elucet, in loco priori post *ἐφ' ἱερὰ* non esse interpungendum.

²⁹⁾ Dionys. V, 2: *καὶ τὰς θυσίας τὰς τε κατὰ τὴν πόλιν καὶ εὐς ἐπὶ τῶν ἀγρῶν, ἅς ἐποιούνητο κοινῶς συνιόντες οἱ δημόται τε καὶ οἱ φυλέται, πάλιν προσέταξαν ἐπιτελεῖσθαι, ὡς ἐπὶ Τυλλίου συντελοῦντο*. Scripturam *κοινῶς* cod. Vat. et Chis. agnoscunt; *δημόται τε καὶ* reposui e cod. Chisiano; *ἐπιτελεῖσθαι*, quod Reiskius de suo dederat, confirmatur eodem codice; *φυλέται* et Lopus et codices omnes tuentur, neque dubium est, quin ad sacra regionum rusticarum sit referendum, de quibus et Dionysius ipse agit IV, 15, et Siculus Flaccus de conditione agrorum, p. 25, ed. Goes. sic scribit: *Praeterea et regiones solent etiam diversa sacra facere. Ita videndum erit, qualiter pagi sacra faciant*. Cf. Varr. de L. L. VI, § 26. Nihil igitur hoc loco peccat scriptor, quippe qui duobus vocabulis iisque aptis cives et urbanos et rusticos comprehendat.

³⁰⁾ Fest. v. Novae curiae.

³¹⁾ Vide supra annot. 18 et 23.

³²⁾ Ovid. Fast. II, 527:

men minus haud scio an haec ipsa narrationis pars ingenium et naturam prisci sacerdotii maxime redolet maximeque nobis persuadeat, scriptorem hausisse illa ex operibus eius Romani, qui unus omnium maxime primordia rerum Romanarum penetraverit. Nam quemadmodum ea, quae de Curionum aetate, nobilitate, immunitate corporisque integritate affert, non solum ad eos, sed omnino ad alia eaque perantiqua sacerdotia pertinent³³⁾, sic ratio, qua prisci illi sacerdotes una cum uxoribus, praeministrantibus ad sacrificia aut ipsorum aut curialium liberis, per omnem vitam ceremoniis curiarum praeerant³⁴⁾, egregie illustratur institutis aliorum sacerdotiorum. Eodem prorsus modo tum Rex tum Flamines maiores communiter cum uxoribus sacerdotiis fungebantur³⁵⁾, atque illa coniugalis sacerdotii consortio tam neces-

*Curio legitimis nunc Fornacalia verbis
Maximus indicit, nec stata sacra facit,
Inque foro, multa circum pendente tabella,
Signatur certa curia quaeque nota.
Stultaque pars populi, quae sit sua curia, nescit:
Sed facit extrema sacra relata die.*

Conf. Kal. Maff. Farnes. et O. Mueller. ad Varr. de L. L. VI, § 13. Quirinalia incidunt in a. d. XIII. Kal. Mart., Feralia autem in a. d. IX. Kal. Mart., ita ut Fornacalia neque post Quirinalia, neque Quirinalia in a. d. IX. Kal. Mart. incidere potuisse, satis appareat. Aliter Hartung. in libro *Die Religion der Römer*, II, p. 107, sq. Quodsi constat, vel aetate Ovidii curiales sese congregasse in curiis, non possum mihi temperare, quin cum Sigonio et Bellofortio etiam locum notissimum apud Cic. de Orat. I, 7, 27, uno commate ante *convivium Tusculani* sublato, ad epulas curiales referam.

³³⁾ De aetate conf. quae exposuimus l. m. p. 66; de immunitate supra annot. 21; de integritate corporis vide Walter. l. l. annot. 98, locisque ibi allatis adde, quae annotavimus l. c. p. 112, annot. 25; denique de nobilitate non est, quod verba faciamus, quum inter omnes constet, usque ad a. U. 388., exceptis fortasse Flaminibus minoribus, omnes sacerdotes publicos e numero patriciorum fuisse.

³⁴⁾ Dionys. II, 22: ἐπεὶ δὲ καὶ διὰ γυναικῶν ἔδει τινὰ ἱερὰ συντελεῖσθαι, καὶ διὰ παίδων ἀμυθηθῶν ἕτερα, ἵνα καὶ ταῦτα γένηται κατὰ τὸ κράτιστον, τὰς τε γυναικας τῶν ἱερῶν ἔταξε τοῖς ἑαυτῶν ἀνδράσι συννεραῖσθαι, καὶ εἴ τι μὴ θέμις ἦν ὑπ' ἀνδρῶν ὀργιάζεσθαι κατὰ νόμον τὸν ἐπιχώριον, ταύτας ἐπιτελεῖν, καὶ παῖδας αὐτῶν τὰ καθήκοντα λειτουργεῖν τοῖς δὲ ἀπεισιν ἐκ τῶν ἄλλων οἰκῶν τοὺς χαριστάτους καταλεγέντας ἐξ ἑκάστης φράσεως, κόρον καὶ κόρην τὸν μὲν ἐὼς ἡβης ὑπηρέτην ἐπὶ τοῖς ἱεροῖς τὴν δὲ κόρην, ὅσον ἂν ᾖ χρόνον ἀγνῆ γάμων. Scripsi συντελεῖσθαι ex auctoritate cod. Vat.; κόρον agnoscit idem cod. et Chis.; ὑπερέτην tuetur etiam Chis., tamen haud scio an scribendum sit ὑπηρέτην ἐπὶ τοῖς ἱεροῖς.

³⁵⁾ De Regina conf. Fest. v. Inarculum, Macrob. Sat. I, 15, p. 275; ed. Bip. Orell. coll. incriptt. n. 2280; 2282; 2283. Adde, quae disputavimus l. c. p. 13 et 72. — De Flaminica Diali Ovid. Fast. VI, 231.

saria erat tamque indissolubilis, ut mortua Flaminica Diali, Flamini abeundum esset sacerdotio³⁶). Item pueri et puellae patrimi et matrimi Flamini et Flaminicae Diali ad sacrificia praeministrabant³⁷), et ipsi, aequae ac prisci illi sacerdotum curialium administrati³⁸), Camilli et Camillae appellati. Accedit quod quum Rex et Flamines maiores tum Decemviri sacrorum, Fetiales, Augures, Fratres Arvales sacerdotiis per omnem vitam fungebantur³⁹), et inter eos plures, qui temporibus antiquioribus pariter atque sacerdotes curiales munerum tam

III, 397. Fest. v. Flameo. Tacit. Annal. IV, 16. Gall. X, 15. Macrob. I. I. I, 16, p. 281. Plut. Q. R. 86. Tertull. Exhort. ad castit. 13. Serv. in Virg. Aen. IV, 103, fin.; 339; 374; 518; 646. — Ceterarum Flaminicarum perraro fit mentio. Vide Fest. v. Mortuae. Indicem quartum Metelli P. M. apud Macrob. I. I. II, 19, p. 360. Gaii institut. I, § 112. Conf. infra annot. 37.

³⁶) Gell. I. I. Plut. Q. R. 50.

³⁷) Fest. v. Flaminia. Flaminius. Cumeram. Iuba apud Plut. Num. 7. Macrob. Sat. III, 8, p. 23. Serv. in Virgil. Aen. XI, 543; 558. Ibidem IV, 262, apud Fest. v. Secespitam, et in Pauli excerptis, ubi nunc legitur: *Flamines, Flaminicae virgines, Pontificesque*, haud scio an legendum sit *Flaminicae, Virgines*, hoc est, Flaminum maiorum uxores et virgines Vestales.

³⁸) Dionys. II, 22. Locus depravatus e vestigiis codicum et auctoritate virorum doctorum sic videtur restitui posse: *ὅσα μὲν γὰρ αἱ κληρονομοὶ καὶ ἀρχηγοὶ λεγόμενα λειτουργοῦσιν ἐπὶ τῶν Ἑλληνικῶν ἱερῶν, ταῦτα παρὰ Ῥωμαίους αἱ Κάμιλλα προσαγορευόμενα. — ὅσα δὲ παρὰ Τυρρῆνοῖς, καὶ ἐτι πρότερον παρὰ Πηλεσγόοις ἐτέλουν ἐπὶ τῆ Κουρήτων καὶ Μεγάλων Θεῶν ὀργασμοῖς οἱ καλούμενοι πρὸς αὐτῶν Κάμιλλοι, ταῦτα τὸν αὐτὸν τρόπον ἐπὶ τῶν τοῖς ἱερεῦσιν οἱ λεγόμενοι νῦν παρὰ Ῥωμαίων Κάμιλλοι.* Reposui ex cod. Chis. καὶ ἀρχηγοὶ pro ἀρχηγοσφοῖ, quod codd. Lap. et Vat. praebent. Item pro vulgato *ἀδὲ προσαγορευόμενα* in Chis. et Vat. est *αἱ προσαγ.*, unde nihil nisi vocabulum *Κάμιλλα* excidisse, vix est quod dubitemus. *Κάμιλλοι* pro *Κάδωλλοι* legendum esse, iam Vossius viderat. Praeter locos in annot. 37. adscriptos ad rem pertinet Varro de L. L. VII, § 34. Ceterum conf. Pith. ad Collat. Legg. Mos. et Rom. XVI, 2, p. 790. Marin. ad Actt. Fratt. Arval. p. 203. O. Mueller. Etrusc. II, p. 70. Prolegom. Mythol. p. 147. Lobeck. Aglaoph. p. 1209, sq.

³⁹) De Rege sacrorum vid. Dionys. IV, 74. Serv. ad Virg. Aen. VIII, 646, p. 497, fin.; de Duumviris sacrorum Dionys. IV, 62; de Fetialibus ibid. II, 72; de Auguribus Plin. Epist. IV, 8. Plut. Q. R. 99; de Fratribus Arvalibus Plin. H. N. XVIII, 2. Conf. Marin. I. I. proem. p. 16. Ceterum Regi, Auguribus, Fratribus Arvalibus sacerdotia semel commissa nullo prorsus modo eripi poterant; contrario fieri potuit, ut Flaminibus ob causas varias abeundum esset sacerdotiis. Liv. XXVI, 23. Plut. Marcell. c. 5. Val. Max. I, 1, 4. Orell. coll. inscriptt. n. 2207.

urbanorum quam militarium immunes essent⁴⁰). Respondet igitur imago priscorum sacerdotum a Dionysio adumbrata mirum quantum conditioni aliorum sacerdotiorum, quae constat et ipsa fuisse antiquissima. Cuiusmodi similitudini si adieceris, etiam pagorum magistris una cum uxoribus sacris paganis praefuisse⁴¹), profecto fateberis, naturam sacerdotii curialis a Dionysio depictam adeo convenire prisco illi atque severo religionis Romanae ingenio, ut in nostro scriptore vix possit alter inveniri locus, qui genuina Romanorum monumenta magis resipiat. Quod si fere omnia, quae Dionysius in loco primario de sacris curioniis tradit, partim luculentis Romanorum testimoniis partim maxima similitudine sacerdotiorum perantiquorum mirifice comprobantur, profecto non possumus non iudicare, scriptorem hanc narrationem accuratam et per capita tria continuatam debere Varroni, cuius auctoritatem quum in limine huius ipsius narrationis posuit, tum vero adeo respexit, ut de nominibus curiarum disserens sententiam eiusdem a fama vulgata satis abhorrentem reticere nollet⁴²).

Iam res quum eo devenerit, ut in tribus illis capitibus agnoscenda sit Varronis auctoritas, proxime duo exploremus oportet: primum, num Dionysius in loco Varroniano interpretando ne in singulis quidem a sententia auctoris sui aberraverit; deinde, quibus monumentis ipsa Varronis fides in vetustis curiarum institutis describendis fulta fuisse videatur. Ad primam huius quaestiunculae partem quod attinet, fatendum quidem est, Dionysium plus semel a sententia Varronis aberrasse; sed ita aberravit, ut vel in erroribus ab eo commissis egregium auctorem, quem sequutus est, facile agnoscas. Primum enim lapsus est, ubi Augures tres antiquissimos a Rege ex singulis sibi tribubus cooptatos, quorum Varro certe mentionem fecerat, Haruspices fuisse significat⁴³). In quem errorem incidit, quia, in primordiis rerum Romanarum nihil nisi vestigia indolis Graecae aucu-

⁴⁰) Vide supra annot. 21.

⁴¹) Hoc videtur luculenter probare inscriptio apud Orell. I. I. n. 1495: CERERI AVGVST. | MATRI AGR | L. BENNIVS PRIMVS | MAG. PAGI. | BENNIA PRIMIGENIA | MAGISTRA FECER. | GERMANICO CAESARE II. L. SEIO TVBERONE COS. | DIES SACRIFICI XIII. K. MAI.

⁴²) Dionys. II. 47.

⁴³) Ibid. II, 22: ἔτι πρὸς τούτοις ἕταξεν μάντιν ἐξ ἐκάστης φυλῆς ἓνα παρεῖναι τοῖς ἱεροῖς, ὃν ἡμεῖς μὲν Ἱεροσκόπον καλοῦμεν, Ῥωμαῖοι δὲ ὀλίγον τι τῆς ἀρχαίας φυλάττοντες ὀνομασίας, Ἀρούσπικα προσαγορεύουσιν. Conf. supra annot. 13 et 15.

paturus, vocabulum Romanum *haruspex* a Graeco *ἱεροσκόπος* derivari posse credidit, nec satis attendit, Haruspices omnino Etruscis esse relinquendos. At vero ipse huic sententiae suae, quam Varonianae male sagax affinxit, tam parum tribuit, ut in recensu sacerdotiorum a Numa sive retentorum sive constitutorum non solum ne verbo quidem meminisset Haruspicum, verum etiam, quod palmare est, Augures cuiuslibet divinationis prudentes esse traderet⁴⁴). Deinde lapsus est iterum, tum sacerdotes curiales tum omnes sacrorum ministros famulosque comitiis curiatis creatos fuisse arbitratus⁴⁵). Etenim quum satis constat, sacerdotes Romanos nunquam a populo esse creatos⁴⁶), tum vero ipse Dionysius recte tradit, et Haruspices illos suos, i. e. Augures, et ceteros sacerdotes a rege fuisse cooptatos⁴⁷). Sed vero hic quoque error probat, Dionysium ad verbum reddidisse Varronis sententiam, qui haud dubie scripserat, sacerdotes curiales creatos fuisse curiatim. Quod vocabulum noster, ut alibi, ita hoc loco parum recte interpretatus, ad comitia retulit⁴⁸), quamquam ipse, ut in antecedentibus, sic in multis locis operis sui creationem sacerdotum penes reges fuisse recte significat⁴⁹). Erravit igitur Dionysius in singulis quibusdam interpretandis, sed ita erravit, ut elucens ex ipsis erroribus veritas scriptorem vestigiis auctoris sui ubique instituisse egregie confirmet.

⁴⁴) Ibid. II, 64: ἀπάσης τῆς μαντικῆς παρ' αὐτοῖς ὄντας ἐπιστήμονας, τῆς τε περὶ τὰ οὐράνια καὶ τὰ μετάρσια καὶ τὰ ἐπίγεια.

⁴⁵) Ibid. II, 22, fin.: ἔπαντας δὲ τοὺς ἱερεῖς τε καὶ λειτουργοὺς τῶν θεῶν ἐνομοθέτησεν ἀποδείκνυσθαι μὲν ὑπὸ τῶν γρατρίων, ἐπικυροῦσθαι δ' ὑπὸ τῶν ἐξηγουμένων τὰ θεῖα διὰ μαντικῆς. Agnoscit ἐπικυροῦσθαι etiam cod. Chis.

⁴⁶) Rem illustravit Rubino, l. I, p. 335, sq.

⁴⁷) Dionys. II, 22: — ἔταξε μάντιν — παρῆναι —; ibid. 21: πολλοῖς σώμασιν ἀπέδωκε —, quo verbo utitur infra II. 64. de sacerdotibus a Numa constitutis: ἀπέδωκε δὲ μίαν μὲν ἱεροργιῶν διάταξιν τοῖς τριάζοντα Κουρίωσιν, κ. τ. λ.

⁴⁸) Rubino, l. I, p. 341.

⁴⁹) Ita II, 64, de Vestalibus: αὐτὸς πρῶτος — παρθέτους ἀποδείξας κ. τ. λ.; ibid. 70, de Saliis Palatinis: οὗς αὐτὸς ὁ Νομᾶς ἀπέδειξεν κ. τ. λ.; ibid. de Collinis: ἀπεδείχθησαν ὑπὸ βασιλέως κ. τ. λ.; ibid. 72, de Fetialibus: Νομᾶ — τὸ ἱερὸν ἀρχεῖον καταστησαμένον.; ibid. 73, de Pontifice cooptando: οὐχ ὑπὸ τοῦ δήμου αἰρεθεῖς κ. τ. λ.; iterum de Vestalibus III, 67: δύο προσκατέλεξεν ἑτέρας; denique de Duumviris sacrorum IV, 62: ἄνδρας ἐπιγναεῖς δύο προχειρισάμενος. Neque aliter fieri poterat, quandoquidem ipse Dionysius etiam hoc Regi tribuit: ἱερῶν καὶ θυσιαῶν ἡγεμονίαν ἔχειν καὶ πάντα δι' ἐκείνον πράττεσθαι τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ὅσια. Conf. Cic. de Rep. II, 14. Liv. I, 20.

Quod quum ita sit, aggredienda nobis est altera et ea quidem gravior quaestiunculae pars, quae ad fidem Varronis spectat. Quaeritur, unde Varro scire potuerit, quae de primordiis Urbis, quo instituta curiarum certe pertinent, posteris tradidit. De qua re quae sit nostra sententia, iam alio loco significavimus, ubi scriptores Romanos, qui de vetustis populi Romani institutis scriberent, non hausisse sua ex solis annalibus similibusque monumentis ostendimus⁵⁰). Etenim quamquam minime ignari, partes quasdam librorum sacrorum et perantiquas fuisse nec Urbe capta deletas, tamen non multos puto fore, qui regnante Numa, nedum Romulo, annales maximos aut ullum librorum genus Romae conscriptos fuisse existiment⁵¹). Nihilo minus etiam in annalibus legebantur, quae ad Titum Tatium pertinerent⁵²); imo leges quaedam tum sacrae tum civiles ad reges ultimos referebantur, nec ulla est causa, quod iure suspicemur, eiusmodi annalium partes a Pontificibus antiquioribus forte temere confictas esse. Quaerenda igitur erant monumenta, unde tum Varro tum alii, qui multo ante illum primo de primordiis rei Romanae scripserunt, sua vel sumpsissent vel coniecissent, considerantibusque nobis tum aetatem librorum sacrorum sub regibus novissimis scriptorum tum perseverantiam, qua Romani sacra semel instituta retinebant, probabilis visa est sententia, et Varronem et antiquiores eos scriptores multa, quae de priscis temporibus traderent, ex sacris institutis partim sumpsisse partim concludendo effecisse. Quod quatenus in ea conveniat, quae Varro de curiis sacerdotibusque curialibus antiquissimis scire potuerit, haud scio an vel hodie ad calculos vocare liceat. Iam vidimus enim, instituta curiarum superfuisse aetate Varronis et Ovidii. Ex antiquissimis curiis quattuor, quae in radicibus Palatini montis intra pomœrium vetustum erant sitae⁵³), in suis locis manserant; ceterae, quae, incertum quando, exauguratae in alium locum translatae erant, aetate Verrii Flacci proxime compitum Fabricium stabant⁵⁴). Item ipsa sacra curionia retinuerant speciem priscae simplicitatis; conspicuae erant in curiis vetustae mensae lignae et in iis vasa atque utensilia simplicissima: canistra et catina fictilia, quibus dapes admodum frugales, i. e. liba hordeacea,

⁵⁰) In libro supra mem. p. 163, seq.

⁵¹) Conf. tamen Petersen. de originibus historiae Romanae, p. 25, sq. Nobiscum videtur facere Rubino, l. I, p. 410, sq.

⁵²) Conf. Varr. de L. L. v. § 74. Cic. de Rep. I, 16. Plin. H. N. II, 54.

⁵³) Tacit. Annal. XII, 24. Serv. in Virgil. Aen. VIII, 36. Sueton. Octav. 5. Fest. v. Novae curiae. Conf. Bunsen in Descript. urb. Rom. I, p. 138.

⁵⁴) Fest. l. I.

placentae, farra et primitiae frugum diis apponerentur, sicuti ibidem etiam libationes non vasis argenteis aureisque, sed capedunculis simplicibus fictilibus fiebant⁵⁵). Nec solus perfacilis ille sacrorum apparatus⁵⁶) revocabat ultimam antiquitatem; etiam hoc pertinebat ad vetustissima Urbis instituta, quod Kalendis Martiis, hoc est, initio anni Romulei, ut in Regia, in domibus Flaminum, in aede Vestae, sic in curiis laureae veteres novis mutabantur⁵⁷). Fuerunt igitur curiae iam priscis illis temporibus, quibus annus Romanus decem tantum mensibus constabat, hoc est, ante Numam regnantem⁵⁸), atque haud dubie in monumentis tum vetustissimis tum maxime venerandis ponebantur.

Quod quum ita esset, viri docti, qui in primordia rerum Romanarum inquirebant, ex institutis curiarum suo iure multa poterant conicere, quae prisci status Urbis illustrandi essent. Nimirum antiquario sane omnia, quae ad curias pertinerent, summi debebant momenti esse: situs, numerus, dii ibi culti, caeremoniae, denique sacerdotes curiales. Nam inter omnes quum constaret, esse curias caeremoniasque curionias ex ultima antiquitate repetendas, merito sic argumentabantur, quaecunque ad curias pertinerent, eadem iam inde ab Urbe condita fuisse instituta. Itaque curiarum situ, numero, diis, caeremoniis, sacerdotibus, denique iure publico et inter se et cum aliis institutis aequae vetustis diligenter collatis, non potuit fieri, quin vel ex hac comparatione rerum antiquissimarum imago quaedam Urbis praeae emergeret. Hoc igitur modo quum Varro, tum vero qui multo ante eum origines Romanas investigare studebant, cum fide sane magna de priscis institutis iudicare poterant, praesertim quum alia insuper iis suppeterent subsidia, quae ad praesentiam institutorum ipsorum accederent.

Nam licet negemus, iam prioribus regibus regnantibus iura divina humanaeque monumentis fuisse consignata, tamen sine ulla artis criticae iniuria agnosci et potest et debet, sub regibus novissimis

⁵⁵) Dionys. l. I. II, 23. Cic. de Rep. lib. VI. apud Non. v. Samium, p. 398. ed. Gothofr. Ceterum vide infra annot. 78.

⁵⁶) Cic. de Rep. II, 14: *Sacrorum autem ipsorum diligentiam difficilem, apparatus perfacilem esse voluit (Numa)*. Diligentia enim spectat ad deos innumeros et caeremonias multiplices summamque rerum divinarum observantiam, quam rem in programmate *de sacris Romanorum libris* nuperrime scripto breviter significavimus.

⁵⁷) Ovid. Fast. III, 137, sq. Macrob. Sat. I, 12, p. 256. Conf. quae de ea re exposuimus in lib. mem. p. 136, sq.

⁵⁸) Conf. Ideler. Chronol. II, p. 16; 32, sq.

praecepta gravissima, quae ad ius publicum pertinerent, non amplius mera consuetudine et ore propagata esse. Ne paganalia quidem sacra sine legibus scriptis instaurari poterant⁵⁹⁾, ne dicam tot sacra urbana, quorum iura et ceremoniae iam sub regibus novissimis adeo accreverant, ut sine monumentis literatis ne paucas quidem aetates, nedum saecula, inviolata propagari possent⁶⁰⁾. An vere putemus, non solum praecepta pontificalia, auguralia, fetialia, oracula sibyllina, foedera, verum etiam religiones pagorum et sacraria argeorum monumentis fuisse mandata: curiarum, hoc est, totius populi, quibus quondam res publica tamquam in fundamento niteretur, non fuisse? Profecto non dubitari potest, quin iura sacrorum curialium aequae ac paganalium inde a novissimis saltem regibus litteris fuerint consignata. Quod si datur, iam elucet, quam recte ii, qui rebus priscis operam navassent, de institutis omnium veterrimis iudicare potuerint. Enimvero non ipsa solummodo instituta aetatem tulerant et perstabant, verum etiam antiquis iam aetatibus descripta erant, ita ut de iis simul ex praesentia rerum, simul ex litteris perantiquis iudicium fieri posset.

Quodsi et Varro optime de sacris curioniis iudicare potuit et Dionysius sententiam Varronis, perpaucis erroribus exceptis, in tribus illis capitibus recte est interpretatus, iam manifestum est, iudicium tum de sacerdotibus curialibus tum de sacris curioniis omnino ex loco illo primario petendum esse. Primum igitur necesse est reiiciamus, quae a Paterno et a Dionysio ipso aliis in locis de Curionibus munere centurionum functis narrantur, quum nullo prorsus modo cum sententia Varroniana conciliari possint. Deinde autem tenendum est, triginta Curiones dimidiam tantum partem sacerdotum curialium explese, quandoquidem luce clarius apparet, ex sententia Varronis fuisse sexaginta curiarum sacerdotes. Operabantur igitur in curiis praeter Curiones alteri triginta sacrorum antistites, qui quo nomine sint appellati et quo functi munere, ex coniunctis quibusdam veterum testimoniis satis apparet.

Legimus enim apud Festum⁶¹⁾ haec: Curiales Flamines curiarum sacerdotes; cuiusmodi sacerdotes re vera curioniis sacris interfuisse, quum Verrii declarat explicatio, tum vero facile est ad demonstrandum, eos a ceteris Flaminum generibus prorsus dif-

⁵⁹⁾ Dionys. IV, 15: *Καὶ νόμους ὑπὲρ τῶν ἱερῶν τούτων, οὓς ἔτι διὰ φυλακῆς ἔχουσι Ῥωμαῖοι, συνέγραψεν.*

⁶⁰⁾ Conf. quae in programm. mem. observavimus, p. 9. et 11.

⁶¹⁾ Fest. v. Curiales.

ferre. Nam, ut Flamines tam augustales quam municipales faceamus, quos nemo sacris curialibus inserendos putet, elucet vel ex numero, Flaminiibus ceteris Romanis, i. e. maioribus et minoribus, qui essent quidecim⁶²), nihil cum triginta fuisse curialibus. Quae quum ita sint, facere non possumus, quin in Flaminiibus curialibus certos diversosque a Curionibus sacerdotes curiarum agnoscamus, praesertim quum Verrius, qui alibi et Curionatus et Curionum diserte mentionem faciat⁶³), satis superque nos edoceat, haudquaquam se Curiones cum Flaminiibus curialibus confundere⁶⁴). Quod si certum est, sacerdotium curiae cuiusque Curione et Flamine constitisse, sacerdotes curiarum triginta fiunt sexaginta, qui numerus ad amussim respondet illi, quem Varro in antiquitatibus priscorum sacerdotum publicorum fuisse voluerat.

Iam de re perquam memorabili, priusquam nostra quaestio ad munera Flaminum curialium progrediatur, nonnulla habeo, quae seorsum observem. Primum elucet, Varronem, qui triginta curias in primordiis rei Romanae ponat, id quod ex numero sacerdotum publicorum necessario efficitur, mirum quantum refragari sententiae viro- rum doctorum, qui censeant, curias Romanas non simul, sed ita fuisse exortas, ut decem primis interiecto quodam temporis spatio decem alterae, his deinceps decem tertiae accederent⁶⁵). Nihilo tamen minus tantum abest, ut Niebuhrium in re gravissima ingenio nimium indulsisse putem, ut rationes mihi intelligere videar, quibus adductum Varro tum ceteri Romanorum scriptores triginta curias statim ab Urbe condita fuisse iudicaverint. Nam si aliquam veritatis speciem habent, quae supra de ratione exposuimus, qua scriptores Romani in veterrima quaeque inquirere potuerint, certe statuendum est, Catonem, Varronem, alios suam de numero curiarum sententiam partim ex institutis ipsis partim ex libris sacris, in quibus de institutis tractatum esset, ratiocinando effecisse. Ad instituta quod attinet, nemo negaverit, triginta curias multo ante reges novissimos exstitisse; contrario libros sacros, qui ad sacra curionia pertinerent, ante Ancum

⁶²) Fest. v. Maximae dignationis.

⁶³) Fest. v. Curionium. Maximus curio.

⁶⁴) Sic iudicare videtur etiam Rubino, l. l. I. p. 339.

⁶⁵) Niebuhr Hist. Rom. I, p. 297, sq. Walter. l. l. I, 2, p. 15. Huschke, *Die Verfassung des Königs Servius*, p. 692; 698, sq. Aliter Wachsmuth. l. l. p. 197. Roulez in dissertatiuncula *Observations sur divers points obscurs de l'histoire de la constitution de l'ancienne Rome*, p. 4, quae est inserta operi inscripto *Recueil encyclopédique belge*, Juillet, 1834, tom. I, p. 64.

fuisse scriptos, vix erit qui argumentis idoneis probaverit. Itaque ne in veterrimis quidem monumentis, quae aetatem tulerant, nisi triginta curiarum ulla poterant indicia aut vestigia inveniri; neque iis, qui primo in origines Urbis inquirebant, ulla potuit esse aut facultas aut voluntas divinandi, qua ratione ille curiarum numerus ortus fuerit. Proinde ad primordia rei Romanae referebant, quae ex monumentis, quorum usus tunc suppetebat, sibi vetustissima esse viderentur, parum capaces eius generis inquisitionis atque investigationis, quo viri summi hodie comparandis multarum gentium originibus incunabula populi Romani pervestigarunt. Unde apparet, neque Niebuhrium parum scite de ortu et incremento curiarum statuere, et Varronem ceterosque, qui integrum earum numerum respexerunt, egregie suis esse monumentis usos.

Deinde apparet, Dionysium, qui aliis locis antiquitatum, Flaminibus curialibus prorsus neglectis, Curionum tantummodo meminerit, in loco Varroniano interpretando non omnes sibi nodos expedisse. Cuius rei causa haud scio an ita explicari possit. Qui enim numerum sacerdotum priscorum a Varrone computatum recte vellet percipere, cum haud dubie oportebat intelligere, certum quoddam Flaminum genus iam Romulo regnante constitutum fuisse. Sed hoc ignorasse Dionysium quum inde apparet, quod ne conatur quidem illum numerum explicare, tum vero imprimis e modo, quo inter instituta ad Numam relata Flaminum mentionem facit⁶⁶). Ibi enim, quamquam in universum de sacerdotibus Romanis copiosius quam ullus rerum scriptor disserens, ita ut ne Celerum quidem praefectos omitteret, tamen de Flaminibus sane perpauca quaedam affert, nec ea quidem, unde Graecis aliqua potestas sacerdotii satis cognoscendi fieret. Nam Flamines omnino a Numa institutos arbitratus, nec quot fuerint indicat, nec eorum munera aut iura significat; imo ne Dialis quidem meminit. Quid multa? Agit in hac parte operis multo negligentius quam Livius, qui primordia rei Romanae videtur obiter delibasse; nec ullo potest modo existimari, scriptorem varii huius sacerdotii genera, munera, iura, quae plurima fuere, vel primoribus labris, ut dicunt, gustasse. Quod si Dionysius putabat, Flamines omnino a Numa demum creatos esse, profecto ne divinando qui-

⁶⁶) Dionys. II, 64: τὴν δὲ δευτέραν τοῖς καλουμένοις ὑπὸ μὲν Ἑλλήνων Στεφανηφόροις, ὑπὸ δὲ Ῥωμαίων Φλάμοισιν, οὓς ἐπὶ τῆς φορησεως τῶν πικλωτῶν τε καὶ στεμμάτων, ἢ καὶ νῦν ἐτι φοροῦσι, φλέμα καλοῦντες, οὕτω προσαγορεύουσι. Scripsi ὑπὸ μὲν pro vulg. ὑφ' ex auctor. cod. Chis.; Φλάμοισιν Vat. et Chis. tumentur, nec desunt loci, ubi Dionysius terminationes Latinas non reddit. Conf. Grimm. ad lib. II, cap. 74, d.

dem assequi potuit, cuius generis sacerdotes praeter triginta Curiones in numero illo Varroniano delitescerent. Quapropter quamquam sententia Varronis et confisus et ad probandam sacerdotum multitudinem usus, tamen tacere quam interpretem agere maluit, nec amplius alteros triginta sacerdotes sibi inexplicabiles attigit, ita ut hi quoque aequae ac tres Haruspices Romulei apud nostrum regnante Numa evanuisse videantur. Sed hactenus de incuria Dionysii.

Iam quum dubitari nequeat, quin Curiones triginta una cum totidem Flaminiibus praefuerint sacris curioniis, quaerendum est amplius, quibus officiis tum Flamines tum Curiones functos esse credamus. Quam rem haud dubie sine magno negotio eruere possemus, si nobis aut monumentorum, quibus Varroni ceterisque antiquariis Romanis uti licuit, aut operum saltem Varronianorum esset copia. Sed interiere et haec et alia monumenta pretiosissima, unde instituta Romanorum prisca certo explorare possemus, nec aetatem tulerunt nisi fragmenta paucissima, quae ad res divinas curiarum pertineant. Nihil tamen minus hoc saltem intelligere licet, coniuncta illa curiae cuiusque sacerdotia, i. e. Curionatum et Flaminium curiale, praeclare congruere priscis Romanorum moribus. Invenimus enim in monumentis sacerdotiorum perantiquorum praeter Magistrum, qui collegio praecerat, sacerdotes quosdam alios, qui et ipsi variis fungerentur muneribus. Ita in collegiis Saliorum tum Vates tum Praesul suas agebant partes⁶⁷⁾, atque in collegio Fratrum Arvalium praeter Magistrum non solum Flamen, verum etiam Promagister et Proflamen et Praetor locum habebant⁶⁸⁾. Arvalis autem Flamen, ut post Magistrum dignitate proximus erat atque, sicut ille, quotannis a collegio creabatur⁶⁹⁾, ita cum eo certa quaedam sacrificia communiter faciebat⁷⁰⁾, ceteris negotiis, quae ad collegii administrationem spectarent, Magistro soli relictis. Nam hic re vera collegii et praeses erat et curator omnium rerum divinarum humanarumque, quae ad Fratres pertinerent⁷¹⁾: contra Flamen nisi ad sacra eaque certa facienda non videtur esse constitutus, atque ex substituto Proflamine satis apparet, Magistro non licuisse eiusmodi praeesse ceremoniis, quae Flamini

⁶⁷⁾ Iul. Capitol. M. Anton. c. 21.

⁶⁸⁾ Conf. Marin. l. l. prooem. p. 21, sq. De hoc genere Praetorum vide etiam Orell. l. l. n. 2154. 2205.

⁶⁹⁾ Marin. l. l. ad tab. XXXII, lin. 29, p. 395.

⁷⁰⁾ Marin. l. l. prooem. p. 27. Conf. ibid. tab. XXXII, column. sec. lin. 26; tab. XXXV, lin. 9; tab. XXXVI, lin. 3.

⁷¹⁾ Marin. l. l. prooem. p. 21.

convenirent. Fungebatur igitur Flamen sub Magistro officiis quibusdam certis et circumscriptis nec nisi ad certas quasdam collegii ceremonias pertinentibus. Neque dissimili quadam ratione sacerdotia Regis et Flaminis Dialis quondam coniuncta fuisse videntur. Etenim quum sacra ab initio Regi soli obeunda postea sic essent divisa, ut et Flamini Diali gravissima quaedam sacra, quae regiae vicis fuerant, committerentur⁷²⁾, et Regi non solum pariter certae quaedam ceremoniae⁷³⁾, verum etiam summa omnium rerum divinarum cura maneret: apparet sane, Flamini nisi officia sacerdotalia non contigisse⁷⁴⁾, Regi contra praeter similia quaedam munera curationem rerum plurimarum, quae ad cultum deorum publicum spectarent, reservatam esse. Erat igitur inter Regem et Flaminem Dialectem e ratione universae religionis publicae necessitudo quaedam perquam illi similis, quae pro sacris unius collegii inter Magistrum et Flaminem Arvalem intercedebat; atque illa Regis et Flaminis Dialis consortio sacerdotialis Romanis priscis adeo gravis est visa et necessaria, ut etiam post reges exactos sacrorum Rex institueretur, qui, ut Magister Arvalis dignitate suo antecederet Flamini, ita honoris gradu etiam Flamini Diali superior esset⁷⁵⁾.

Haec qui attento perpenderit animo, non modo intelliget, haudquaquam necesse esse putemus, Flamines curiales eosdem fuisse atque Curiones, verum etiam fortasse contendentibus nobis consentiet, Curionatum et Flaminium curiale ideo fuisse simul constituta simulque administrata, ut, certis quibusdam ceremoniis, quae summam corporis integritatem et studium assiduum anxiamque observantiam requirerent, Flamini solis relictis, Curiones omnino omnia curarent, quae ad loca sacra atque sacrificia epulasque curialium pertinerent. Quae sententia, quam ducti similitudine quadam priscorum institutorum amplexi sumus, re vera etiam nonnullis veterum locis videtur confirmari. Accepimus enim, Flamines ad mensas quasdam se-

⁷²⁾ Liv. I, 20.

⁷³⁾ Varr. de L. L. VI, § 12. Ovid. Fast. I, 323. Fest. v. Agonium. — Ovid. l. l. I, 21. — Ibid. V, 727. Varr. l. l. VI, § 31. Plut. Q. R. 6. — Varr. l. l. VI, § 13. — Ibid. VI, § 28. — Ibid. VI, § 27. Macrob. Sat. I, 15, p. 273. Serv. ad Virgil. Aen. VIII, 654.

⁷⁴⁾ Hoc paucis significat Liv. l. l.: *Flaminem Iovi assiduum sacerdotem creavit*. Cetera habes apud Gell. X, 15. Fest. v. Iurare. Procinctam classem. Liv. V, 51. Tacit. Annal. III, 71.

⁷⁵⁾ Liv. II, 2. III, 39. Dionys. IV, 74. V, 1. Plut. Q. R. 63. Fest. v. Sacrificulus rex. — Ibid. v. Ordo Sacerdotum. Gell. X, 15. Serv. in Virgil. Aen. II, 2.

dentis fecisse sacra, quapropter hoc genus mensarum ad sidelae vocabatur⁷⁶). Iam non repugnabimus, si quis hanc Verrii annotationem omnino ad omnes Flamines pertinere voluerit; at hoc nemo iure suo contendat, Flamines curiales non eodem modo sacrificasse. Primum enim grammaticus hoc genus sacerdotum non excepit; imo haud dubie comprehendit, quippe qui vocabulo Flamines, nullo adiectivo apposito, sit usus. Deinde constat, inde a perantiquis aetatibus mensas in aedibus sacris ararum vicem obtinuisse⁷⁷), id quod vel a nomine mensarum prisco elucet, quae in sacrificando diis ministrabantur⁷⁸). Denique idem Verrius affirmat, Iunoni Quiriti in mensis curialibus immolatum esse⁷⁹). Quod si et Flamines ad mensas sedentes sacra faciebant et Iunoni Quiriti in mensis curialibus immolabatur, profecto recte concludimus, Flamines curiales Iunoni Quiriti, quam in curiis inde a vetustis temporibus cultam fuisse scimus⁸⁰), in mensis curiarum sacrificasse⁸¹). Unde elucet, Flamines curiales illis praefuisse ceremoniis, quae ad cultum Iunonis cuiusdam armatae pertinerent⁸²). Praeterea autem subluceat, Curiones et ipsos sacra quaedam fecisse et multa gessisse negotia, quae ex sententia veterum Romanorum rebus divinis finitima essent. Nam quod ad

⁷⁶) Fest. v. *Adsidelae mensae vocantur, ad quas sedentes sacra faciunt.* Atque in iure Papiriano (ap. Macrob. Sat. III, 11, p. 31.) scriptum est: *mensa, hoc ritu dedicata in templo, arae usum et religionem obtinet pulvinaris.* Conf. supra annot. 23.

⁷⁷) Fest. v. *Mensae.* Conf. supra annot. 23. et Marin. l. l. ad Tab. XLI. a. lin. 23.

⁷⁸) Fest. v. *Escariae Mensae.* — *Anclabris ea, quae in sacrificando diis anclatur, quod est hauritur ministraturque.*

⁷⁹) Fest. v. *Curiales mensae.* De his loquitur Dionys. II, 23: *ἐγὼ γοῶν θησαύμην ἐν ἱερῶν οἰκίαις δεῖπνα προκείμενα θεῶν ἐν τραπέζαις ξυλίνοις ἀρχαῖ καὶς, κ. τ. λ.* Etiam cod. Chis. formam ξυλίνοις praebet.

⁸⁰) Dionys. II, 50: *ἐν ἀπάσαις τε ταῖς Κουρίαις ἠρᾷ τραπέζαις ἐθετο Κυριτία λεγομένην, αὐ καὶ ἐς τὸδε χρόνον κείνται.* Conf. Fest. v. *Curis.* Curitem. Plut. Rom. 29. In lapidibus tam *Quiris* quam *Curis* scribitur. Vide Orell. coll. n. 1303; 1304.

⁸¹) Si quis, collatis praeis illis sacerdotiis cum Flaminiis maioribus, existimet, Iunoni Quiriti non tam Flamines quam Flaminicas curiales sacrificasse, equidem nihil moror. Tum autem etiam hoc ponendum erit, Flamines ipsos Iovi fecisse. Quod si statuimus ita fuisse, Flamen et Flaminica curialis pro curia sua eodem fungebantur munere quo Flamen et Flaminica Dialis pro populo universo.

⁸²) Conf. quae disputavimus l. m. p. 147, ubi exposuimus, non solum Romae, verum etiam per oppida Latina, certe Tibure et Lanuvii, cultam fuisse Iunonem armatam.

sacra attinet, primum constat, Curiones in focis curiarum sacrificasse⁸³). Deinde Dionysius haud dubie e Varrone tradit, plures deos in unaquaque curia fuisse cultos⁸⁴). Erat igitur, cui Curiones ipsi sacrificare possent; erat, cui Flamines; erat, cui uxores utrorumque. Tum accedebant ad sacra curionia communes epulae curialium, nec est cur dubitemus, quin Curiones redivit ad sacra epulasque necessarios dispensaverint et epulas instruxerint epulantibusque praesederint⁸⁵). Denique ne his quidem finibus videtur circumscriptus fuisse curiona-

⁸³) Dionys. II, 65; 23. Conf. supra annot. 4. et 23. Ceterum etiam Fratres Arvales non modo foco et mensa, sed insuper ara et cespite utantur. Vide Marin. l. l. proem. p. 26 et 27.

⁸⁴) Dionys. II, 23: *δηρὸν πάλιν, ὡς ἔφη, κατ' ἐπιτηδεύματα ταῖς φράτριάς τὰ ἱερά, θεοῦ ἀποδεικνύς ἐκάστῃς καὶ δαίμονας, οὓς ἔμελλον αἰεὶ σέβειν.* Ceterum etiam pagi diversa faciebant sacra. Vide locum Siculi Flacci supra in annot. 29. adscriptum.

⁸⁵) Vide supra annot. 25. sq. Ceterum haud scio an huc pertineat locus ille Plautinus, quem iam Bellofortius, Rep. Rom. lib. III, cap. I, p. 88, ed. Ital. ad sacerdotes curiales retulit. Legitur enim in Aulul. I, 2, 28:

Nimis hercle invitus abeo: sed quid agam, scio.

Nam noster nostrae qui est magister curiae

Dividere argenti dixit nummos in viros.

Id si relinquo, ac non peto, omnes illico

Me suspicientur, credo, habere aurum domi.

Etiam Niebuhrius in Hist. Rom. II, p. 178, annot. 335. ed. sec. ex hoc loco argumentatur, pecunias quasdam hereditarias in curiis Romanis dividi solitas esse, neque dubitari potest, quin poeta vocabulo *magister*, cuius usus apud Romanos antiquiores latissime patebat, praesertim genitivo *curiae* addito, verbum vulgare *curio* commode reddere potuerit. Iam hereditariae pecuniae in curiis fuerint divisae, nec ne, equidem in medio relinquam; at divisas fuisse pecunias quasdam sive sportulas curialibus, etiam hoc reddit verisimile, quod similis quidam mos in collegiis perantiquis videtur obtinuisse. Vide Marin. l. l. proem. p. 25. 28. et imprimis ad tab. XXXII. lin. 14. p. 398. sq., ubi ex lapidibus allatis apparet, sportulas e more coniungi fuisse solitas cum epulis solemnibus, quarum in numero certe sunt epulae curiales ponendae. Nihilominus ne sic quidem omnes nodos huius loci satis expedisse videmur. Nam licet non magni faciamus sententiam Pseudo-Asconii, qui, loco Plautino fretus, in Act. I. in Verr. c. VIII, § 22. *magistros curiarum* eodem esse vult atque *divisores tribuum*, id quod Sigonius ei credidit (de Iudiciis lib. II, cap. 30. p. 647, ed. Lips. et Hal.), tamen minime potest negari, fieri potuisse, ut aetate Plautina praeter Curiones et Flamines curiales tertium quoddam esset genus hominum, qui sive sacras curialium aedes sive alia quaedam negotia curarent atque Curionum administri quidam essent. Sic in lapide est

tus. Spectabant enim officia priscorum sacerdotum non solum ad consuetum quendam deorum cultum, verum etiam in multis requirebantur rebus, quarum cura temporibus posterioribus aut aliis est sacerdotibus commissa aut prorsus neglecta. Imprimis autem apud priscos Romanos, quum omnia, quae ad hominum victum pertinerent, a certis quibusdam diis expetenda essent, res rustica mirum quantum cum rebus divinis coniuncta erat⁸⁶). Quod quale fuerit, quum ex multis Romanorum institutis iisque gravissimis apparet, tum etiam ex ceremoniis quibusdam ad pagos spectantibus. Magistri pagorum, ut sacris paganorum praerant, ita agros eorum non solum lustrabant⁸⁷), verum etiam circumeundo inspiciebant, agricolas tam segnes quam diligentes ad regem delaturi⁸⁸). Quibus officiis sub Servio demum regnante accessit, ut, quoties opus esset aut paganos ad arma vocare aut pecunias viritim exigere, convocarent eos et pecunias exigent⁸⁹). Quod si Magistri pagorum, qui haud dubie pariter atque Curiones in numero sacerdotum publicorum ponendi sunt, non modo pagorum sacris, sed etiam vitae ac disciplinae paganorum providebant, vix potest dubitari, quin Curiones olim officiis quibusdam similibus fungerentur pro oppidanis. Considerandum enim est atque animo tenendum, ex sententia Varronis aetate Romulea, exceptis sacerdotibus sexaginta curialibus, nullos fuisse sacerdotes publicos. Ergo tunc nondum erant Pontifices, nondum Flamines maiores, nondum Fratres Arvales⁹⁰), hoc est, ii, quibus postea hominum vita, vineta, arva curae essent. Quod quum ita esset, omnino omnia, in quibus sacerdotalis quaedam auctoritas requireretur, ad regem et ad sacerdotes curiales referrentur solos, plane necesse erat. Quorum quum Flamines certis quibusdam sacris addicti fuisse videantur, sane perquam est verisimile, Curiones omnia curasse, quae ad vitam et

magister Fani Iunonis, apud Orell. l. l. n. 2418, neque dubitari potest, quin curiis sui fuerint aeditui sive custodes.

⁸⁶) Vide imprimis Plin. H. N. XVIII, 2, sq.

⁸⁷) Sic. Flacc. de Condit. agror. p. 25: *Quod tamen intelligi potest, vel ex hoc magistri pagorum quoad pagos lustrare soliti sunt.* Faciebant igitur pro pagis singulis, quae Fratres Arvales pro universo agro Romano. Conf. Hartung. l. l. II, p. 145.

⁸⁸) Dionys, II, 76. Cato apud Plin. l. l. 3: *quem virum bonum colonum divissent, amplissime laudasse existimabant.*

⁸⁹) Dionys. IV, 15.

⁹⁰) Non me fugit, scriptores alios nec eos spernendos de hac re aliter atque Varronem iudicasse. Vide Masurium Sabinum apud Gell. VI, 7. Plin. l. l.

disciplinam curialium, quatenus ea ceremoniis teneretur, moderandam pertinent. Sed de hac re, quae cum ceteris Romanorum sacerdotiis vinculis et arctissimis et plurimis est connexa, alias uberius disceremus; hoc autem loco id saltem videmur nobis probasse, Curiones nec partes centurionum egisse, nec eosdem fuisse atque Flamines curiales.

